



The Holy See

IOANNIS PAULI PP. II

SUMMI PONTIFICIS LITTERA APOSTOLICA *BONUS PASTOR* VENERABILI DEI SERVO FLORENTINO ASENSIO BARROSO

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus» (*Io* 10, 11). Florentinus Episcopus Asensio Barroso persecutionem praesensit quae in Hispaniam invasura erat, in pastores potissimum, ad persecutorum rationem per saecula iteratam: «Percutiam pastorem, et dispergentur oves» (*Mc* 14, 27). Munus tamen accepit Episcopi Administratoris Apostolici Barbastrensis, sese aequans ipsi Iesu, qui dixit: «Non mea voluntas sed tua fiat» (*Lc* 22, 42). In oppido idem ortus est quod Villaseñor vocant provinciae Vallisoletanae (in Hispania) die XVI mensis Octobris anno MDCCCLXXVII. Die quo ipse primum ad sacrum convivium accessit Dominum ad sacerdotium vocantem animadvertit eumque studiose persecutus est. Sacerdotio aucto die primo mensis Iunii anno MCMI, suum compluribus in locis sustinuit pastorale ministerium, exinde varia officia elegit sibi prope Episcopum Vallisoletanum, scilicet Iosephum M. Cos y Macho. In Pontificia Universitate studiorum Vallisoletana doctoris gradum in theologica disciplina assecutus est; aliquantum temporis in ipsa studiorum Universitate docuit. Parochus cathedralis metropolitani templi renuntiatus, in sacris concionibus et spiritali moderatione constanter perstitit. Confessarii porro complures per annos Seminarii tironum et complurium Congregationum sororum egit munus. Administrator Apostolicus Barbastrensis nominatus et Episcopus titulo Euroeensis in Epiro, die XXVI mensis Ianuarii anno MCMXXXVI consecratus est. Actuosi fuerunt ac pariter funesti IV menses et XXIII dies, quo tempore in dioecesi mansit. Curiam dioecesanam reformavit. Doctrinae Christianae Congregationem in tota dioecesi composuit. Magnopere praedicationem fovit. Pastoralem epistolam scripsit, cohortans ad unitatem in Christo ac Paulina theologia Mystici Corporis sumens initium. Consociationi, Actioni Catholicae coniunctae, favit quae Hispano sermone «Confederación Española de Sindicatos Obreros» appellatur eandemque tuitus est. Opere carentes Episcopum sollicitum experti sunt; pauperes et aegroti parumper suis necessitatibus ab eo levati sunt. Deditionis Spiritus animusque promptus Episcopi adversam obstinatamque mentem mollire non potuerunt municipii auctoritatem. Ipse illacrimans Seminarii excessum passus est, quod deinde solo aequatum est, itemque coemeterii violationem, piarum Consociationum et apostolatus sodaliorum delationem, censuram illarum rerum quas ipse in cathedrali tempo praedicabat; omnes conatus municipalem auctoritatem conveniendi sunt detrectati et ita porro. Duobus post diebus quam civile bellum exarsit, ut Ecclesiae pastor (die XXII mensis Iulii anno MCMXXXVI) ad Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Collegium translatus est et ibi detentus, tunc pro carcere habitum cleri, religiosorum et etiam laicorum fidelium. Die VIII mensis Augusti vesperi in cellam segrex translatus est carceris municipalis qui haud plus XX metra aberat. Quaestio habita est de eo, percussus est et acriter mutilatus. Post mediam noctem e carcere delatus est et cum aliis duodecim. Episcopus martyr caelum suspectans dixit: «Quam pulchra mihi nox!». Miles quidam ipsum audiens suspiria trahentem, percontatus est sciretne quonam perduceretur necne, respondit: «Scio: me perducitis Domum Dei nostri et Domini. In paradysum me

perducitis». In V plaustrum mortis impositi, morituri delati sunt ad coemeterium ut manuballista necarentur. In itinere plebecula turpia impiaque adversus sanctum Pastorem proferebat, iram concitans carnificum. Unus horum manuballistae ictu sinistri lateris costas Praesulis fregit. In coemeterio omnes manuballista interempti sunt. Dei Servus haud statim mortuus est. Carnifices certiores facti ab opificibus vicini valetudinarii, qui clamores et lamentationes audierunt alicuius morientis, redierunt eumque penitus tribus ictibus necaverunt. Cadaver in communem foveam proiectum est. Post bellum finitum, corpus recuperatum conditum sollemniter est in cathedrali templo. Martyrii fama cum persisteret, anno MCMXLVII beatificationis et canonizationis Causa incohata est atque die XXXI mensis Ianuarii anno MCMXCVII Nos ipsi declaravimus Dei Servi mortem verum fuisse martyrrium. Statuimus deinde beatificationis ritus die IV mensis Maii subsequentis ut celebraretur. Hodie ideo in Petriana Basilica inter missarum sollemnia formulam ediximus hanc: Nos, vota Fratrum Nostrorum Ambrosii Echebarría Arroita, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Victoris Aloisii Mondello, Archiepiscopi Rheginensis-Bovensis, Iulii Nicolini, Episcopi Cremonensis, et Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastropolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Florentinus Asensio Barroso, Zephyrinus Giménez Malla, Caietanus Catanoso, Henricus Rebuschini et Maria ab Incarnatione Rosal Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Florentini Asensio Barroso die nona Augusti; Zephyrini Giménez Malla die quarta Maii; Caietani Catanoso die vicesima Septembris; Henrici Rebuschini die decima Maii; et Mariae ab Incarnatione Rosal die vicesima septima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata firmaque esse volumus, contrariis minime quibuslibet obsistentibus rebus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Maii anno MCMXCVII, Pontificatus Nostrae undevicesimo.* ANGELUS card. SODANO *Secretarius Status* © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana